

Ea vero, quae de fatis *Stutgardiani* antiquitatum thesauri, potui exquirere, sequentibus fere continentur. Licet *Patinus* ipse asseruisse videatur, istum ab EBERHARDO Duce primum esse collectum; tamen ex iis, quae mox afferam, palam fiet, antiquiores esse vltimas illius, origines. Conjecturae est locus, ex libris, quos adhuc seruat Bibliotheca Numophylacii nostri, sub FRIDERICO Duce, stirpis Celsissimae, hodie regnantis, auctore, natales illustris huius thesauri esse inuestigandos. Corio rubro ligatos, exterius insignibus Wirtembergicorum Ducum ornatos, libros offendi nonnullos, ad antiquitates remque numismaticam facientes omnes, quorum dorso annorum, 1601. 1602. & sequentium notae adparent inscriptae. Iter instituit, sub finem Anni 1599. paucis admodum viae sociis comitatus, Princeps Serenissimus per Italiae regiones, vbi omnia visu digna curiosis lustravit oculis. In iis etiam, cum reliquis antiquorum temporum monumentis, numorum antiquorum thesauros, vti alibi, ita Venetiis praesertim spectavit, qua de re, descriptione istius itineris typis vulgata, reddimur certiores. Non mirum videri debet, si Princeps colligendorum antiquorum etiam numorum cupiditate, illustribus, quae spectauerat, exemplis, rediit accensus. Neque solis his coniecturis res ista perficitur; certo enim

enim